

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Desiderii Erasmi Roterodami Paraphrases In Novvm Testamentvm

Praemissa Est Io. Aug. Noesselt Historia Paraphraseon Erasmi Rot. In
Novum Testamentum

Erasmus, Desiderius

Berolini, MDCCLXXX

VD18 90514300

In Epistolam Pauli Ad Colossenses Paraphrasis Per Des. Erasmum
Roterodamum.

urn:nbn:de:gbv:45:1-14035

IN
 EPISTOLAM PAULI AD COLOSSENSES
 PARAPHRASIS
 PER
 DES. ERASMUM ROTERODAMUM.

CAPUT I.

- P** Paulus legatus Iesu Christi, idque non ex institutione hominum, sed ex voluntate Dei patris, simulque Timotheus, qui mihi fratris est loco ob perfectum in evangelio consensum, his qui Colossis agunt fidentes Christo Iesu, et ad huius doctrinam vitae sanctimoniam sectantes, nobis iam carissimi fratres professionis consortio. Sit vobis gratia et pax a Deo patre nostro, ut quemadmodum illi gratis estis reconciliati, ita mutuum inter vos concordiam semper alatis, sicuti decet fratres communi patre gloriantes. Tametsi non contigit mihi videre vos, tamen in precibus nostris, quibus assidue compellamus Deum, et patrem domini nostri Iesu Christi, simul etiam pro vobis, et gratias agimus pro donis illius in vos collatis, et precamur, ut suas dotes in dies augeat, ac tueatur auctas, posteaquam per Epaphram cognovimus fidem vestram, qua confidimus vos fore incolumes, non angelorum praesidio, sed gratuito beneficio Christi Iesu, per quem patri visum est nobis omnia largiri. Nam et hunc Christum appellari voluit, ut ex illo salutem haurirent

omnes, et Iesum, ne aliunde quis speraret salutem. Neque solum cognovimus fiduciam vestram erga illum, 5
verum etiam huius comitem caritatem, quam ad Christi exemplum habetis erga sanctos, de quibus studetis benemereri, non ulla spe redituri interim ad vos cum foenore beneficii, sed spe immortalitatis, quam scitis vestrae pietati reconditam in coelis. Sic enim vere persuasum est vobis per evangelium Christi, quod ita verax est, ut licet ingentia polliceatur, et inaudita proferat, tamen quoniam auctore Deo nititur, mentiri non possit. Quod ut per universum mundum, in 6
dies magis ac magis propagatur, ita ad vos quoque pervenit, quotidie crescens et augescens, latius spargens sese, simulque fructificans piis operibus, quae gignit ultro christiana caritas, quod idem accidit in vobis, semper ad meliora proficientibus ab eo die, quo primum audistis et cognovistis, vere per gratuitam Dei beneficentiam omnibus condonari peccata, qui credunt evangelio, si rectae credulitati copuletur sincera caritas. Sic enim didicistis ab Epaphra, carissimo 7
conservo meo, bonaeque fidei apostolo, quippe qui sincere nostri vicibus functus est apud vos, sic administrans pro Iesu Christo functionem evangelicam, ut in omnibus integre sese gesserit. Sicut igitur per hunc 8
vos docui, ita per eundem intelligimus vestram erga nos benevolentiam, non vulgarem illam, qua vulgo bene volunt notis et amicis, sed spiritualem et evangelicam, qua diligimus omnes, per quos illustratur, et confirmatur evangelii gloria, etiamsi corporeis oculis nunquam sint nobis conspecti. Nos itidem isti in nos 9
animo respondentes, etiam non visos amamus, ex eo statim die, quo de credulitate vestra, deque caritate certiores facti sumus, assiduis precibus interpellantes Deum pro vobis, ac votis ardentibus flagitantes, ut sua munera, quae largiri coepit, perficiat atque absolvat in vobis, quo et plenius agnoscatis illius volunta-

tem, edocti non humana philosophia, aut superstitiosa quorundam hominum persuasione, sed sapientia prudentiaque spirituali, cuius iam bonam portionem
10 estis assequuti, in qua cupio vobis nihil deesse, quo perfecti sic omnem vitam agatis, ut digna Deo videatur, utque illi per omnia placeatis, non praetermittentes ullum opus bonum, nam his rebus illi placetur. Siquidem credidisse evangelio, rudimentum est salutis,
11 absoluitur autem ac perficitur piis actionibus. Neque fatis est per evangelium didicisse, Deum esse salutis auctorem per Iesum Christum filium suum, nisi per hanc scientiam christianae caritatis officii adolescatis ac fructificetis, usque et usque in melius proficientes, atque in his constanter perseveretis, omni robore confirmati, ne qua vis aut procella persecutionis vos dimoveat a recto cursu, quam ad rem magnis sane viribus
12 opus est. Eas non est quod ipsi nobis ex nobis ipsis polliceamur. Deus illas suppeditet oportet, sic ut omnis gloria eorum, quae per nos fortiter geruntur, ad illum redeat, cuius beneficio nobis praestatur, uti summa cum tolerantia, summaque animi lenitate perferamus, quidquid interim nobis obstrepit ob evangelium Christi. Neque fatis est, ut in his fortes simus et intrepidi, quin potius decet, ut alacriter etiam suscipiamus afflictiones, cum gaudio gratias agentes Deo patri, qui vos hoc honore dignatus sit, ut quum antea fueritis simulacrorum ac daemonum cultores, dignatus sit adsciscere in consortium Judaeorum, qui ob veri Dei cultum prae vobis erant sancti, et ad eandem hereditatem admittere immortalitatis, cuius spe contemnendum est, quidquid hic vel territat, vel blanditur,
13 utque vobis, qui prius in densissimis ignorantiae tenebris versabamini, lucem evangelicae veritatis impartierit, et qui prius foedissimam simul et miserrimam servitatem serviebatis sub tyrannide diaboli tenebrarum principis, inde vos exemptos transtulerit in regnum filii

sui, quo nihil habet carius, ut in illius corpus adsciti, cum eodem haberetis regni consortium. In quo locus **14** non est iis, qui peccato sunt obnoxii, eoque per filium Dei data est libertas, per quem remissa nobis sunt peccata vitae superioris. In huius igitur ius cessistis, cuius beneficio fuistis restituti. Ac videte, quam felix **15** commutatio. Prius ad diaboli corpus pertinebatis, nunc infiti estis corpori Christi, cuius tanta est dignitas, ut imago sit Dei patris, qui lucem habitat inaccessam, nec a quoquam cerni potest, etiamsi per filium nobis utcumque cernitur, ipsi ut simillimum, ita etiam aequalem. Neque enim minus sapiens est, aut minus potens, aut minus bonus, quam pater. Neque haec illi nuper accesserunt, sed antequam quidquam esset conditum, ille ab aeterno fuit imago patris aeterni, non conditus, sed natus ab eo, a quo sunt omnia, quique solus nullum habet principium. Is ex se genuit **16** filium, ac per filium simulque cum filio creavit et condidit universa, quidquid usquam est rerum, sive in coelis, sive in terris, visibile pariter atque invisibile, nec angelis ipsis exceptis, etiam summatibus, sive thronos dicas, sive dominationes, sive principatus, sive potestates. Quae sic praecellunt caeteris rebus creatis omnibus, ut longe tamen sint infra dignitatem eius, cui vos estis adglutinati. Quod enim conditum est, inferius sit oportet suo conditore. At per Christum **17** non solum condita sunt omnia, verum etiam ab eodem gubernantur et servantur omnia, hac quoque in parte patri compare et consorte. Ipse vero nullo posterior est, sed praecedit omnia condita, quae per eundem consistunt, peritura, ni penderent ab illo. Videtis quae **18** sit dignitas ac praeminentia Christi, ne quis nimium tribuat angelis. At ne maiestas illius vos deterreat, audite bonitatem eiusdem, ne putetis alium vobis quaerendum esse, per quem aditum habeatis ad patrem. Sic enim est princeps omnium angelicarum mentium.

ut idem non dedignetur esse caput ecclesiae, quam sibi sic adglutinavit, ut non aliter cum ipso cohaereat, quam corpus annexum est capiti. Proinde nobis commune sit oportet, quidquid in capite praecessit. Primus ille resurrexit a morte, non ut solus frueretur immortalitate, sed ut nos sua membra ad immortalitatis consortium eveheret. Quod primitiis tribuitur, toti massae commune sit oportet. Ille quidem princeps et auctor resurrectionis, sed per illum resurrecturi sumus et nos, et quemadmodum primas tenet in rebus conditis, sic tamen, ut ipse conditus non sit, sic et in restitutione rerum conditarum primas tenet, ut sicut illi debemus, quod nati sumus, ¹⁹ ita eidem debeamus, quod ad salutem renati. Sic enim patri visum est, ut in filium transfunderet plenitudinem omnem divinae potestatis ac bonitatis, quae sic in illo maneret, ut non esset opus quidquam unquam aliunde petere, quum nihil velit aut possit pater, quod idem non velit ac possit filius. Non est nostrum disquirere, cur ita visum sit patri, quum certum sit, optimum esse, quidquid ille decrevit. Sic, inquam, illi visum est, et ad nostram salutem et ad suam gloriam conducere, ut omnia sibi reconciliaret, non per angelos, sed per filium proprium, qui suo sanguine supplicioque crucis, pro nostris peccatis poenas daret, ut abolitis peccatis, quae dirimebant concordiam et pacem coelestium ac terrestrium, iam amicitia iungerentur omnia, sive quae in coelis sunt, sive quae ²¹ in terris, nimirum in unum Christum conspirantia. Quorum de numero vos quoque estis, qui quum olim sic essetis alienati a Deo, ut simulacra daemonum pro illo coleretis, neque solum propria voluntate diffideretis ab illo, verum impiis operibus hostes ²² ageretis, tamen ille nunc vos nec exspectantes, nec promerentes reconciliavit sibi, et ex hostibus fecit amicos ac filios, idque non angelorum ministerio, sed per corporalem mortem unigeniti sui, quem in hoc ipsum

voluit mortale corpus assumere. Et quoniam pax non potest esse cum Deo nocentibus, gratis condonavit omnia commissa vitae superioris, ut exhiberet vos sanctos, et irreprehensibiles, et inculpato in conspectu suo. Quis enim vobis imputet priora debita, si ipse²³ sibi fert accepta? Id futurum est, si semel gratis admissi ad fidem evangelicam, semper in eo perseveretis, quod estis professi, ac solido innixi fundamento sic vos praebeatis stabiles, ut nec per homines, nec per angelos dimoveamini a Christo, unde nobis speranda quaecumque promittit evangelium, cui semel audito credidistis, quod neque vobis tantum praedicatum est, sed praedicatum est palam omnibus orbis nationibus, quas coeli ambitus complectitur. Inconstantis est, desciscere ab eo, quod semel est probatum. Impudens est, pro vano habere, in cuius credulitatem consentit orbis universus, postremo cuius ipse Paulus sum praedicator, haud quaquam relicturus legem patriam, et cum evangelio Christi commutaturus, ni compertum haberem, negotium esse coeleste, et a Deo profectum. Nunc²⁴ adeo mihi persuasum est, verax esse evangelium, ut non solum me non poeniteat aut pudeat, verum etiam gaudens patiar, ac gloriae mihi ducam flagra, carceres, compedes, quas non pro meis facinoribus, sed pro vestra salute tolero, quos, reclamantibus Judaeis, doceo non minus ad evangelii beneficium pertinere, quam ipsos Judaeos. Cur enim non dicam, me pro vestra salute pati, pro qua passus est Christus? Cur pigeat apostolum facere, quod non gravatus est facere princeps noster? Ille non solum in suo corpore passus est pro nobis, verum etiam in nostro quodammodo patitur, veluti supplens per suos vicarios, quod in illius afflictionibus videri poterat diminutam, non quod illius mors per se non sufficiat, sed quod una quodammodo sit afflictio capitis et membrorum, principis et vicariorum, quae quo copiosior est, hoc magis redun-

dat in cumulum vestrae salutis; imo non vestrae solum, sed totius corporis Christi, quod est ecclesia.

25 Fungor officio delegato, mihi mandata est ecclesiae cura. Christus suas vices mihi delegavit, tradidit sui corporis custodiam, hac praecipue portione, quae gentes respicit ad evangelium recipiendas, ut opera mea suppleam, quod huic videbatur deesse, evulgaremque quod plurimis retro seculis ac gentibus fuit absconsum, videlicet non Judaeis tantum, verum etiam gentibus

26 per fidem aditum patere ad salutem evangelicam. Id iam olim Deo decretum fuerat, sed tamen orbi fuit hactenus celatum, nunc mea praedicatione potissimum patefactum est iis, qui pristina vita relicta, Christi do-

27 ctrinam amplectuntur, quibus visum est Deo patefacere, quam gloriosa sit illius in nos opulentia, quum evulgato quod ante latebat arcano, totus mundus intelligit gratuitam salutem, quam primum credebant solis Judaeis delegatam, (*) omnium gentium esse communem, nec requiri mosaicae legis observationem, sed fidem duntaxat, qua non dubitent de promissis evangelicis. Pro cunctis, quibus stulte fidunt Judaei, Christus unus vobis satis est. Is si in vobis est, non est, quod vos poeniteat spei vestrae, et firmae satis, et gloriosae per illum, qui quod pollicitus est, haud dubie

28 praestabit ex sese. Hunc nos praedicamus, non Mo- sen, aut angelos, admonentes non Judaeos tantum, sed omne mortalium genus, ac docentes, neque omnino quidquam praetermittentes, quod ad evangelicam sapientiam pertinet, nimirum ut intelligant omnes homines, perfectam salutem non alibi constituendam, quam in Christo Iesu, sive circumcisi sint, sive prae-

29 putiati. Ad quod persuadendum sic adnitor, ut non pigeat, huius rei gratia tot me periculis ac malis obii- cere, gravioribus utique, quam ut nostra imbecillitas perferre possit. Sed potens est ille, cuius instinctu at- que

(*) Aliae: delatam

que ope haec per me geruntur, nostro sermone fidem conciliantibus, quum res postulat, etiam miraculis.

CAPUT II.

HAec mihi dicta sunt, Colossenses, non quo me iactem apud vos, sed quod cupiam vos scire, quanta me teneat sollicitudo, quantumque periculorum adeam, non solum pro his, quibus ipse praesens tradidi doctrinam evangelicam, verum etiam pro iis, quibus de facie notus non sum, praecipue pro vobis ac Laodicensibus, quos tametsi corporeis oculis non conspexerim, animi tamen oculis contempler assidue, gaudens de profectu, trepidans si quid periclitari sensero, aut labascere vestram integritatem. Neque perinde mea refert, ut haec sciant, qui me non viderunt, atque ipsorum. Estimulantur enim mea sollicitudine, meisque periculis et afflictionibus, ut magis consentiant et cohaereant evangelica caritate, membrorum in morem inter se compacti et coagmentati, quoque magis intelligant, ac certius credant, opulentam Dei patris beneficentiam, in omne mortalium genus, imo in omnia quaeque in coelis, quaeque in terris, sese largiter diffundentem, patefacto iam arcano per Iesum Christum, quod hactenus celatum erat, videlicet extra unum hunc nihil nobis expetendum humanae sapientiae, five quid promittunt huius mundi philosophi, five quid pollicentur mosaicae legis doctores, five quid alii iactant sese doctos ex angelorum colloquiis, quum in hoc uno reconditi sint et abstrusi omnes thesauri sapientiae, et cognitionis fructiferae. Ex hoc fonte compendio licet haurire, quidquid ad veram salutem pertinet. Atque haec quae dicimus eo tendunt, ut etiam atque etiam caveatis, ne quis humanis artibus instructus adversus evangelicae doctrinae simplicitatem, fucum vobis

faciat, et imponat falso sermone, sed in speciem probabili ac verisimili. Solent enim huius mundi sophistae captiunculis quibusdam, et argutiis rationum humanarum, animos simplicium illaqueare. Non me clam est, esse quosdam tales apud vos, insidiantes sinceritati fidei vestrae. Nam tametsi corpore absum, nec video coram, quid apud vos agatur, animo tamen adsum, cum gaudio spectans ordinem ac statum vitae vestrae, simulque contemplans soliditatem ac robur fiduciae vestrae, quam habetis in Christo Iesu, cui semel vos totos concredidistis. Superest ut in eo, quod recte coeptum est, perseveretis ac proficiatis, et quemadmodum semel accepistis, et credidistis, Iesum Christum dominum nostrum nobis Iesse summam bonorum omnium, fontem ac caput felicitatis nostrae, ita vita omnis professioni fideique respondeat, ut quemadmodum semel illi estis infiti per baptismum, ita fixis in eo radicibus, robur colligatis. Et sicut semel in vobis iactum est evangelicae doctrinae solidum fundamentum, ita quae tali fundamento digna sint superstruatis. Ne vacillantes ad quemvis ventum novae doctrinae, nunc huc, nunc illuc nutetis, sed firmi et immobiles persistatis in eo, quod semel didicistis, neque persistatis tantum, sed in dies magis ac magis exuberetis, ut in dies auge-scente fidei et religionis vestrae profectu, semper sit pro quo gratias agatis Deo, cui acceptum ferri oportet, quidquid recte geritur. Vigilant qui insidiantur sinceritati vestrae. Vobis contra vigilandum, ne capti magnifica quadam specie philosophiae, seducamini a soliditate fidei ad inanes hominum commentatiunculas, ac praeda fiatistis hostibus. Id fiet, si aversi a praescripto veritatis evangelicae, duci coeperitis constitutionibus ac praescriptis humanis, quae sita sunt in rebus visibilibus, et in elementis huius mundi crassis, quum Christi doctrina coelestis sit, ac veram tradat pietatem, in animis sitam, non in cibo potuve, non in cultu corporis, non in observatione dierum, aut lotionem ma-

num, quae nihil conducunt ad veram religionem. Ista magis avocant a Christo, distrahuntque a fonte, a quo petenda sunt omnia. Siquidem in hunc, non velut in lacunam dotes aliquot derivatae sunt, sed in eo perseverat atque inhabitat omnis plenitudo deitatis corporaliter, ut hunc habentes, non sit quod umbras mosaicae legis, aut humanae philosophiae praestigias sectemini. Veritas palam exhibita est omnibus sensibus, non est quod iam typos, aut ambiguas pollicitationes spectetis. Christo igitur quum sitis semel infiti, et in unum corpus compacti, non est quod aliunde quidquam desideretis. Illi quum nihil desit, et sua velit vobis esse communia omnia, vos quoque per illum completi sitis oportet, sive sapientiam desideratis, sive potestatem. Siquidem hic, ut est fons inexhaustus omnis sapientiae, ita est caput omnis principatus ac potestatis. Nec est ulla potestas inter summos etiam angelos, quae huic non submittat genua. Fortasse Judaeus ceum magnum quiddam vobis persuadere conatur, ut ad ipsius exemplum praeputii pelliculam amputetis, perinde quasi Deo nos commendet habitus corporis. Imo quicumque Christum habent, habent et circumcisionis gloriam, qui non habent, horum inutilis est circumcisio. Umbram circumcisionis habent illi, res ipsa penes vos est. Quum enim iudaica circumcisio significet crassas ac terrenas cupiditates ressecandas ab animis, iam nihil nisi coelestia spectaturis, illi prorsus sunt incircumcisi, qui torquentur habendi studio, qui ventri serviunt, qui livore macerantur, qui gloriam aucupantur apud homines, qui coelestia praemia desperant. Vos contra vere estis circumcisi per Christum, non ea quidem circumcissione, quae fit manibus, sed spirituali. Neque enim particula modo carnalis hominis resecta est in vobis, sed totum corpus peccatis contaminatum, et carnalibus cupiditatibus vitiatum, detractum est vobis, spirituali circumcissione Iesu Christi.

12 Nam quemadmodum ille moriens deposuit corpus morti obnoxium, et resurgens recepit corpus immortale: Ita vos per baptismum iuxta spiritum una cum illo mortui estis, depositis omnibus peccatis vitae pristinae, nec mortui solum cum eo, verum etiam simul cum illo sepulti. Mortificatis enim affectibus sequitur altissima
13 quies mentis. Atque ita deposito corpore, quod erat peccatis obnoxium; peccatum autem animae mors est, per Christum una cum ipso resurrexistis a peccatis liberi, non per merita vestra, sed tantum quia pure creditis Deum, qui sua virtute resuscitavit Christum a mortuis, et hoc sua vi in vobis agere, ut per filii mortem gratis condonatis peccatis omnibus, posthac cum illo vivatis, nullis obnoxii peccatis, sed innocentiae iugi studio ad veram immortalitatem properantes. Ergo patri Deo debentur omnia, quae vobis largitur per filium. Non profuit Judaeis carere praeputio. Nec vobis obfuit praeputium corporale. At mortiferum erat praeputium, quod addicti crassis et impiis cupiditatibus, essetis obnoxii morti, imo iuxta spiritum mortui, carentes Deo, qui vita est mentium. Hoc, inquam, praeputium vobiscum erat nobis commune, quod ille suo spiritu amputavit, semel condonatis nobis omnibus peccatis nostris, et ita condonatis, ut nihil esset periculi, ne nobis in posterum imputarentur, propterea quod verbis conceptis in mosaicae legis obedientiam iurassemus, et ob hoc non servatae legis reos nos agere posset adversarius, velut ex syn-
14 grapha obstrictos. Imo vetus illud chirographum, per quod nos urgebat diabolus, Christus antiquavit professione fidei evangelicae, per quam non imputantur ulli vitae prioris commissa. Quidquid enim ex hoc chirographo poterat a nobis exigi, id ipse Christus dependit in cruce, in qua dilaceratum est chirographum, ac per
15 nitus sublatum est e medio. Nec est quod satanae tyrannidem metuamus, posteaquam Christus in cruce sua

morte mortis auctorem devicit, nos ereptos, velut optima spolia, referens a devictis ac triumphatis principibus ac potestatibus daemoniis. Tunc enim illos libere palamque victos atque exutos ostendit, cum hominibus tum angelis, circumferens velut in triumpho, et ostentans adversarios concisos fractosque, non angelorum aut hominum praesidiis, sed sua ipsius virtute, tam magnificum trophaeum suspendit in cruce, ut esset omnibus e sublimi conspicuum. Tantum ne relabamini in pristina peccata. Non est periculum, ne quis vos condemnet ob neglectas mosaicae legis caeremonias, videlicet ob cibum, aut potum mundum aut immundum, ob discrimen diei festi aut profesti, ob novilunium non observatum, ob otia sabbatorum violata. Siquidem hae fuerunt umbrae, quae portenderent olim ac delinearent ea, quae post essent vere exhibenda a Christo. Caeterum posteaquam corpus ipsum tenemus, posteaquam veritas nobis palam illuxit, quid adhuc umbras metuemus? Qui Christo capiti adhaeret in coelis agenti, non curat nisi coelestia, rectaque tendit ad praemium immortalitatis. Cavete igitur, ne quis vos ad terrena revocans, praemium, quod sectari coepistis, vobis intervertat, pro sublimibus docens humilia, pro vera Christi religione superstitiosum quemdam angelorum cultum inducens, commentitiis quibusdam visis sese iactans apud simplices, elatus carnali affectu suo, quo gloriam venetur apud homines, velut ex oraculis angelorum ea docens, quae ex sese confinxerit, nec animosus in eo, prae quo decet omnia, quantumvis sublimia contemnere, sic fretus angelis, ut a Christo capite coelesti desciscat, ex quo totum ecclesiae corpus pendens, ab eodem omni dote spiritali defluente in singula membra per commissuras artuum ac membrorum, alitur ac augetur usque ad summam perfectionem spiritali, Deo patre dignam, cui per Christum connectimur. Si Christus huic visibili crassoque mun-

do mortuus est, et agit in coelis, et si cum illo mortui estis iuxta vitae studium elementis mundi, nihil spectantes praeter coelestia, quorsum attinet obnoxios esse decretis humanis, praescribentibus non quae Christum sapiant, sed elementa mundi, perinde quasi iam non sitis mortui talibus, sed adhuc vivatis in mundo?

21 Cur auditur Judaeus, haec praescribens iuxta carnalem sensum mosaicae legis: Ne tetigeris hoc corpus, impurum est, ne gustaris hunc cibum, impurus est, ne conrectaris hanc rem, sacra est; nec fas est a profano tan-

22 gi. Quasi vobis non sufficiat doctrina Christi, ita talibus praescriptis auscultatis, iuxta constitutiones ac doctrinas hominum persuadentium, in ciborum delectu, in observatione dierum, caeterisque iudaicis praescriptis sitam esse pietatem. Cibus, potus, aut vestis non commendat nos Deo, sed ad necessitatem corporis adhibentur, ipsoque abusu consumuntur, nec resident in

33 animis nostris. At qui haec docent, prae se ferunt nescio quam falsam speciem sapientiae apud stultos et imperitos, atque hoc pluris fiunt, quo magis impleverint animos hominum superstitione vitiosaque humilitate. Nam plane superstitio est, angelos aequare Christo. Prava humilitas est, per angelum sperare, quod ab ipso Christo petendum erat, aut certe per Christum a patre. Cibi, caeteraque visibilia non ad hoc data sunt, ut cum corporis iniuria cogamur ab his abstinere, sed potius, ut horum adminiculo corpori subveniatur, veste quacumque defendatur adversus ventorum aut frigoris iniuriam, cibo quocumque saturetur, citraque discrimen adhibeatur, quocumque tempore, quocumque loco, quidlibet, quantumlibet opus fuerit ad praesentem necessitatem. Ista curant Judaei, qui nondum habent mentem a crasso carnalique legis intellectu circumcisam.

CAPUT III.

Humilia sunt ista, et indigna germanis Christi
 membris. Vos si vere mortui terrenis rebus, una cum **1**
 Christo surrexistis ad studium rerum sublimium et ae-
 ternarum, contemtis istiusmodi rebus humilibus, sub-
 limia quaerite, coeloque digna, ubi caput vestrum
 Christus dexter affidet Deo patri. Par est enim, illuc **2**
 tendere studia curasque membrorum, ubi iam versatur
 caput, ubi et ipsa post cum suo capite regnatura sunt.
 Ibi quisque vivit, ubi amat. Huic mundo videmini **3**
 mortui, quibus nec arridet mundana felicitas, neque
 curae sunt ea, quibus mundi cultores commoveantur.
 Proinde non vivitis hic apud homines, sed tamen cum
 Christo vivitis apud Deum, etiamsi interim vita vestra
 abscondita est, iuxta iudicium mundi. Caeterum **4**
 quum Christus rursus advenerit, orbi declaraturus et
 suam, et totius corporis sui gloriam, tunc et vos una
 cum capite conspiciemini gloriae consortes. Interim **5**
 curandum, ut totum corpus sublimi coelestique capiti
 respondeat, cuius membra nisi penitus hic moriantur
 terrenis cupiditatibus, non poterunt in coelis vivere
 cum Christo. Habet et diabolus suum corpus, quod
 alibi dixi corpus peccati. Huius membra sunt, scor-
 tatio, quae mundi cultoribus etiam laudi datur, im-
 munditia, mollietates, reliquaque genera libidinis, foe-
 diora, quam ut vel nominari debeant, rerum noxia-
 rum cupiditates, ut gloriae, ut principatus, ut vindi-
 ctæ, cum primis autem pecuniae, quod malum pro-
 xime accedit ad omnium sceleratissimam impietatem,
 cultum simulacrorum. His qui obnoxii sunt, non pos- **6**
 sunt esse consortes gloriae Christi. Tantum enim abest,
 ut talibus inquinati possitis esse filii Dei, ut ob haec
 saevierit etiam in suos filios Judaeos, tanquam immo-
 rigeros abdicans ac perdens. His malis quondam in- **7**

quinata fuit et vestra vita, quum nondum per baptismum mortui cum Christo, vivebatis malis cupiditatibus.

8 Nunc per illum renatos, aequum est et vos omnia vitae prioris abiicere, posteaquam Christus nihil mortale aut terrenum sibi fecerit reliquum. Neque solum abicienda sunt illa enormia, de quibus modo diximus, verum etiam haec, in quibus hominum vulgus sibi ignoscit, quod genus sunt ira, tumor, malitia, maledicentia. Nec animus tantum purus sit ab his cupiditatibus, verum etiam os purum sit ab omni turpiliquo.

9 Christus ipse est veritas, non decet, ut huius membra inter vos mentiamini. Ac ne singula persequar, posteaquam Christum induistis, exuite totum veterem hominem terrenum, una cum actibus et cupiditatibus suis, et induite novum, qui nescit senium,

10 sed in dies augescente in ipso cognitione Dei, florescit ac subolescit in melius ac maius, ad imaginem Christi, qui ipse novus homo, et in nobis condidit novum

11 hominem, extincto vetere. Quotquot enim in Christi corpus infiti sumus, adeo desimus esse quod fuimus, quasi rursus alio modo conditi, ut hic nullum sit discrimen inter ethnicum et Iudaeum, inter verpum et praeputiatum, inter barbarum aut Scytham, et Graecum aut Atheniensem, inter servum et ingenuum. Ex his aestimantur homines apud mundum. Apud Deum nullus est harum rerum respectus, sed Christus ex aequo communis omnium, solus omnia suppeditat omnibus. Is servo est libertas, pauperi divitiae, barbaro cultus, praeputiato circumcisio. In summa, per hunc inter

12 vos aequantur omnia, ne quis alterum fastidiat. Proinde pro abiectis membris vestris Christo indignis, induite vos alia membra, diversa ab illis turpibus, quae supra recensuimus, sed pro illis induite, quae deceant eos, quos Deus selegit ad sanctimoniam; quosque sua dilectione dignatus est. Dicit quispiam, quoniam sunt ista? Nimirum quae nos docuit, quaeque praesti-

tit Christus, affectum, inquam, misericordiae, ut faciles sitis ad sublevandam alienam imbecillitatem, comitatem, ut tractabiles sitis ad communem vitae consuetudinem, animi modestiam, ne cui vos per arrogantiam praeferatis, mansuetudinem, ne saeviat in errantes, patientiam animique lenitatem, ne praecipites sitis ad ultionem, sed sufferatis vos invicem, ac¹³ mutuo vobis condonetis, si quid per humanam infirmitatem exstiterit inter vos, ob quod aliquis possit alterum incusare. Aequum, est ut vos ignoscatis vicissim peccantibus, quum Christus, qui neminem laedit, omnia nostra peccata nobis condonaverit. Sed prae¹⁴ caeteris omnibus ornet animos vestros christiana caritas, quae adeo nulli nocet, ut nemini non studeat prodesse, iniuriam beneficio pensans. Hoc est perfectum illud et indissolubile vinculum, quo Christi corpus cohaeret, et conglutinantur inter se membra, alioqui dilapsura. Caritatis comes erit concordia et pax, non¹⁵ illa quidem vulgaris, sed Christi glutino constans. Ea semper vincat ac superet in cordibus vestris, illa palmam ferat adversus livorem, superbiam, iram, et contentionem. Siquidem ad concordiam vocavit vos Deus, et hoc consilio vos omnes sibi reconciliavit, et in unum corpus cooptavit, ut inter vos unanimes viveretis, velut unius corporis membra. Ne vero sitis in¹⁶ grati, parumque memores divinae erga vos clementiae. Cum illo pax non erat futura nobis, nisi ultro nobis condonasset omnia flagitia nostra. Et huius oblitus, frater adversus fratrem bellum movet ob levem iniuriam? Ne decertetis inter vos de praecellentia philosophiae mundanae. Sermo Christi, qui docet ea, quae pertinent ad veram pietatem, habitet ac perseveret in vobis exuberanter, ut in hoc plurimum sapiatis, adeo ut non solum ipsi scire possitis, quid sit Christo gratum, verum etiam alius alium vicissim docere, si quis erret, commonefacere, si quis cesset, semper interim

hilares spe futurae beatitudinis, psalmis, et hymnis, et
 canticis spiritualibus recinentes domino laudes, ac sua
 beneficia, recinentes autem non solum voce corporea,
 sed potissimum in corde vestro. Nam huiusmodi de-
 mum cantilenis delectatur Deus, ne quis magnum exi-
 stimet, ore superis obstreperere. Postremo quidquid
 17 agitis, seu loquentes, seu facientes aliquid, sic agite,
 ut ad domini Iesu gloriam pertineat, illum sapiat, il-
 lum sonet, illum spiret omnis vestra vita. Atque in-
 terea quidquid acciderit haec agentibus, seu prosperum,
 seu adversum id fuerit, ne quid vos vel deiciat vel
 efferat, sed pro omnibus gratias agite Deo patri per fi-
 lium, per quem nihil non vertit nobis in bonum.
 18 Uxores, subditae estote maritis vestris, sicut convenit
 his, qui Christum profitentur, quos oportet in omni-
 19 bus officiis esse caeteris perfectiores. Contra mariti,
 diligite uxores vestras, quas ita memineritis vobis esse
 20 subditas, ne tamen sitis adversus illas amarulenti. Fi-
 lii, morigeros et obsequentes vos praebete parentibus
 vestris, citra ullam exceptionem, etiamsi duriora prae-
 cipiant, modo ne impia. Sic enim placitum est Chri-
 21 sto. Contra patres, ne abutamini vestra auctoritate
 erga liberos, neque sic irritetis illos saevitia, ut ani-
 22 mum despondeant. Servi, obedite per omnia domi-
 nis, quibus iuxta ius humanum debetis servitutem, non
 iam ad oculum placere studentes, quemadmodum ethni-
 corum mancipiorum vulgus solet, sat habens, si non
 offendat herum hominem, sed simplici sinceroque pe-
 ctore praestantes officium, non hominis metu, sed
 23 Dei, qui respicit, quo faciatis animo. Neque perpen-
 dite, quid mereatur dominus homo, sed quidquid ob-
 sequiorum illi, qualis qualis est, impenditis, sic habe-
 24 te, quasi Christo impendatis, non hominibus, certi
 quod ab illo recipietis praemium haereditatis aeternae,
 etiamsi ingratus herus nihil indulserit peculii, nec vos
 agnoscat inter liberos. Siquidem dum indignis domi-

nis ob Christum servitis, Christo servitis. Nam quem-25
admodum herus, si quid peccat in servum, tametsi
non punitur apud homines, tamen haud erit impunitus
apud Deum: Ita servus, qui recte se gerit, etiamsi
nullum fert praemium apud homines, qui servis officio
functis non arbitrantur quidquam deberi gratiae, ta-
men non peribit illi sua merces apud Deum, apud
quem non est discrimen personarum, sed mentium, nec
est ratio conditionis, sed officii.

CAPUT IV.

Rursum domini, ne iure vestro, quod vobis leges 1
humanae dederunt, non sinceritas naturae, abutamini
ad tyrannidem in servos exercendam, sed quod iustum
est et aequum, illis exhibete, suppeditantes illis, quae
ad naturae usum sunt necessaria, nec pro animi libidi-
ne alios in delitiis habentes, alios intolerabili servitio
prementes, non ignari, vos iam conservos illis esse ve-
rius, quam dominos, quum et ipsi communem cum il-
lis dominum habeatis in coelis, quem merito talem
experiemini in vos, qualem vos praestiteritis in ser-
vos. Atque quo magis vobis contingat, ut membra 2
fitis Christi corpore digna, precationibus instate, non
seignes, aut onusti crapula, sed sobrii ac vigilantes, si-
mul admiscentes gratiarum actionem, ut non solum a
Deo postuletis, quae conducant ad salutem, verum
etiam pro quotidianis illius in vos beneficiis gratias
agatis, quo cumulatus sit in vos beneficus, si memo-
res et gratos viderit. Atque interim deprecabimini 3
Deum, et pro nobis, ut dignetur amotis impedin-
tis omnibus, liberam reddere evangelii praedicationem,
ut illo referante per fidem pectora hominum, in
omnium animos subeat mysterium, quod ha-
ctenus celatum, nunc pater omnibus notum esse voluit

de Christo, per quem sine legis adminiculo salutem offert omnibus, ob cuius praedicationem ego vincus
4 sum his compedibus, ne quid obstet mihi, quo minus evulgem apud omnes evangelium Christi, cupido libere et intrepide, quemadmodum ille me iussit evulgare. Cum his, qui a Christi professione sunt alieni,
5 prudenter est agendum, ne quid appareat in moribus vestris, quod illos irritet ad persecutionis saevitiam, aut alienet ab evangelio. Postquam enim non potestis effugere, quin cum ethnicis commercium aliquod habeatis, vitaeque communis consuetudinem, experiantur vos in omnibus commodiores et humaniores factos ex professione novae religionis, si quid sit eius generis, in quo possitis illis citra pietatis dispendium gratificari. Nunc hoc potissimum agendum, ut omnes alliciantur ad evangelicam professionem. Huius rei occasio non est ob frivolae contentiones perdenda, imo iactura rerum omnium redimenda. Cedite honorem, cedite pecuniam, remittite vindictam, ingens lucrum existimate, si harum rerum dispendio aucta fuerit res
6 evangelica. Sermo vester apud illos non sit contumeliosus atque asper, sed humanitatis gratiam sapiat, cum prudentiae sale coniunctam. Nam comis oratio citius flectit feroces animos, et prudentia docet, quid, quibus, et qua moderatione sit respondendum. Aliter enim agendum cum principibus mundi, aliter cum mediocribus, aliter cum humilibus, aliter cum mansuetis, aliter cum iracundis, aliter cum eruditis, aliter cum idiotis. Ad cuiusque habitum attemperandus est sermo, ut proficiat evangelio. Est ubi cedere praestet, quoties furiosis convitiis reclamatur, quem pares docere, aut dum infidiatur doctrinae tuae, cui loqueris,
7 De statu rerum mearum non scribo vobis, verum de his omnibus certiores vos faciet Tychicus, qui has perfert, mihi frater dilectus ob professionem communem, et idem fidus minister, et conservus in evangelii

negotio, quem hac gratia misi isthuc, ut et per illum 8
 sciatis, quid agatur apud nos, et ego per eundem di-
 scam, quid agatur apud vos, ut et vestri animi refo-
 cillantur ex illius colloquio, et meus recreetur illius
 de vobis oratione. Tychico comitem addidi Onesim- 9
 um, quem nolim ex pristina conditione vitave aesti-
 metis, quum mihi nunc sit fidus ac dilectus frater, qui
 et illo nomine vobis debet esse commendatior, quod
 vestrae gentis sit, ex praepotio conversus ad Christum.
 Hi duo vobis bona fide referent, quidquid hic rerum est
 apud nos, quod vestra referat scire. Salutat vos Ari- 10
 starchus, qui tametsi iudaicae gentis sit, tamen ob fi-
 dei germanitatem vobis debet esse commendatus. Nam
 hunc habeo socium et consortem captivitatis meae pro
 evangelio Christi. Salutat et Marcus, Barnabae vobis
 non incogniti consobrinus, quem et alias commendavi-
 mus vobis, praecipientes quod et nunc praecipimus, ut si
 venerit ad vos, cum humanitate excipiat illum. Salutat 11
 et Iesus cognomento Iustus. Sunt hi quidem diversae gen-
 tis, nimirum iudaicae, sed tamen digni favore vestro, quod
 soli sint focii laborum meorum ad praedicandum regnum
 Dei, atque in hisce malis, quibus affligor, mihi fuere
 solatio. Salutat vos Epaphras, vobis non solum com- 12
 muni Christi cultu, sed gentis etiam cognatione con-
 iunctus; sic vestris commodis ex animo favens, ut an-
 xie sollicitus non desinat precari Deum pro vobis, ut
 illius ope persistatis in eo, quod coepistis, sitisque non
 semichristiani, sed perfecti consummatique, praestan-
 dis omnibus, quae Deo grata sunt. Nam illud de eo 13
 testor, quod ingenti studio afficitur erga vos, nec erga
 vos solum, verum etiam erga finitimos vobis Laodi-
 censes et Hierapolitanos. Salutat vos Lucas arte me- 14
 dicus, mihi unice carus, cumque hoc Demas, qui adhuc
 mecum agit. Salutate cum reliquos fratres omnes, qui 15
 sunt Laodiceae, tum praecipue Nympham, simul do-
 mesticam eius viri congregationem. Haec epistola 16

quum recitata fuerit apud vos, facite ut eadem et in Laodicensium congregatione recitetur, ac vicissim vos legetis epistolam, quae Timotheo scripta fuit ex Laodicensium urbe, quo pluribus profint. Archippo praefecto vestro meis verbis haec dicite: Vide, quam provinciam susceperis. Domini negotium est, quod tibi delegatum est, non hominis. Cura, ut praestes quod suscepisti, domino rationem redditurus. Quo firmior fit apud vos huius epistolae fides, rursus salutem adscribo vobis meapte manu, nempe Pauli, omnibus vobis non ignota. Memores estote vinculorum meorum, quae vestra causa gesto, et sic vivite, ut horum me non poeniteat. Favor Iesu semper adfit vobis, Amen.

PARAPHRASEOS
IN EPISTOLAM PAULI AD COLOSSENSES
FINIS.

IN
EPISTOLAM PAULI
AD THESSALONICENSES
ARGUMENTUM

PER
DES. ERASMUM ROTERODAMUM.

Thessalonica Macedoniae metropolis est, unde et regionis incolae Thessalonicenses appellati. Hi in fide semel accepta tanta constantia perstiterunt, ut et Pauli exemplo, civium suorum persecutiones infracto et alacri pertulerint animo, nec ullo pseudapostolorum suasu quiverint ab evangelica institutione deflecti. Quod veritus Paulus, quem non latebat pseudapostorum improbitas, quum ipsi non liceret illos invisere, misit Timotheum, ex quo reverso quum didicisset illorum constantiam, collaudat eos, gratias agens Deo. Atque id quidem agit capite primo et secundo. In caeteris tribus instituit eos in variis pietatis officiis, subindicans esse inter eos, qui nondum omnino puri essent ab omni libidine, nec deesse, qui otio dediti gravarent alios, item qui inquieti ipsi turbarent ecclesiae tranquillitatem, quos corripit iubet. Praeterea qui de resurrectione nondum satis confirmata essent opinione,